



EUROPA LATINA

COLLOQUI / COLLOQUI

quod tu in docendo potes

Conventiculum XV nuntiatur

JUVAT HIC MEMORARE QUANDO UBIVE IAM PRIDEM INTER NOS CONVENERIMUS:

Leonici VI ac VII septembris die a. MMIII, Calini X atque XI die septembris MMV, in Feliciano ad Benacum ab VIII ad X diem Septembris a. MMVI, ibidem VII atque VIII septembris die a. MMVII, Maguzani XXX septembris et kalendis octobribus a. MMVIII, in Feliciano ad Benacum a VII ad VIII octobris diem a. MMIX, ibidem a III ad V octobris diem a. MMX, ibidem ab VIII ad X octobris diem a. MMXI, ibidem a die XXIX septembris ad kalendas octobres a. MMXII, ibidem a V ad VII octobris a. MMXIII, Bienni a XX ad XXII septembris a. MMXIV, ibidem a XXVI ad XXVIII septembris diem a. MMXV, in Feliciano ad Benacum a XXIV usque ad XXVI diem a. MMXVI, ibidem a die XXX septembris ad II octobris diem a. MMXVII

Amicis Collegisque Claudia Brambilla, Ivana Milani salutem!

Mox XV celebrabitur praeceptorum coetus, quos certo in loco, mense septembri quotannis cogere solemus: at numquis nostrum praeclaram hanc conveniendi occasionem praetermittat?

Nam una cum:

Accademia Vivarium Novum nuncupata, cui praeest Aloisius Miraglia

Sodalitate Latina Mediolanensi cui praeest Joannis Carolus Rossi

Lyceo classico Mediolanensi *Tito Livio* nuncupato

Triduum cui nomen est *Colloqui/ Colloqui* instituetur.

Res quidem nostras prospere adhuc successisse persuasum habemus, praesertim quum graece latineque discendi disciplina, quam ipsi adhibere solemus, a Procuratoribus Publicae Institutionis, rationem a natura profectam, seu inductivam, in docendis linguis classicis suadentibus, probari videatur.

Quibus freti atque erecti, hoc quoque anno vobis proponimus ut scholas nostras triduanas studiis immersi audientes, qua ratione lingua latina potissimum tradendi possit, ipsi experiundo discatis.

Magistris autem, sive iuniores ii sunt, sive scholas nostras numquam audierunt, hic explanare juvat quorsum spectet propositum nostrum: etenim non modo in consuetudinem scribendi loquendique latine adduci, scriptorum librorumque scientia augeri, novasque docendi ac discendi vias inire cupimus, verum etiam consilia inter nos conferre, difficultates quibus quisque in docendo impeditur alii aliis indicare, collatis denique viribus nodos expedire ac moras, quibus publica institutio magis magisque implicatur in dies, summopere studemus.

Eodem, atque annis superioribus, modo res ordinabuntur: dispertiti enim in greges operam dabimus pro viribus latine sermocinando; nobis vero praesto erunt moderatores, quorum opera incitabimur ad textus praelegendos, commentandos, variandos; hae erunt artes nostrae: paraphrasis, disputatio, collatio, explicatio, deductio in actus; praeterea scriptoribus classicis admiscentur loci deprompti ex auctoribus qui post eversum Romanorum imperium usque ad praesentem aetatem floruerunt, quorumque scripta discipulis tractanda proponi non solent in Italorum lyceis, quamquam apud exterarum gentes laudantur, praeleguntur, examinantur; quibus ex locis novae aperientur viae, et eae non minus jucundae quam utiles ad diversa disciplinarum genera coniungenda.

Cum praeterito anno scholae optime successerint ad Ørbergianae methodi usum ostendendum illis qui nondum latine loqui conati sint, iis qui volent etiam hoc anno eiusmodi scholae erunt. Ergo a participibus quid agendum eligendum erit: aut **scholae** (a *Familia Romana, Roma Aeterna* sumptae), aut **lectiones** (quod semper actum est). **Qua de causa vos oramus ut suum quisque gregem in scidula adjecta signet. Universis lectiones magistrales parabuntur. Attamen unusquisque semper poterit scholas in lectiones, lectiones in scholas mutare.**

Ut mos noster est, hoc anno quoque inter nos aliquot horas rogabimus quid, quando, quantum et quo modo disciplinas nostras in Italicis scholis possimus docere. At post coenam lectiones scenicae a magistro Stephano Usmari instituentur.

Ecquando igitur operam dabimus huic nostro eruditionis seminario?

Mense septembri diebus Saturni XV, Solis XVI, Lunae XVII; hinc sequitur ut non amplius bidui veniam a scholarum praesidum petere oporteat; facta autem cuivis diutius manendi facultate, omnibus ad unum integrum erit scholae die dominico saltem interesse, quae schola ipsa per se - expertos testamur! - forsitan nonnihil laboris poscere videatur, at certe suavitatem habebit et jucunditatem et delectationem.

Cur mutavimus seminarii dies? Participes anni praeteriti hoc nobis suaserunt: nam nunc dies septembris ineuntis facilius praesides magistris permittunt adesse seminariis nostris, quia nondum consilia scholastica sunt.

Lingua Latina per saecula in Asia erit res proposita nobis perscrutanda. Hoc erit etiam *Europae Latinae Certaminis anni MMXIX* argumentum: Textus a XVI saeculo redactos comparabimus cum aliis auctorum antiquorum terras gentesque parum notas.

Scriptorum autem locos, qui erunt tractandi, ad eos, qui nomina quisque sua dederint, per cursum electronicum mittemus, ubi primum se affore significaverint.

Monemus denique praeceptoribus, qui forte interfuturi sunt, licere ab unius cujusque scholae praeside impetrare, ut exauctorentur pro tempore, quemadmodum fit ex pactionibus inter magistrorum collegia et rem publicam initis.

Qui invitantur?

Praeceptores quicumque linguam litterasque latinas tradunt, dum ne adsint numero plures quam triginta.

Ubi conveniendum?

Scholae habebuntur in xenodochio "Il Carmine" nuncupato Benaci Sinu Felici, in finibus Brixianorum

Quando congregiendum?

Mense Septembri, diebus Saturni XV, Solis XVI, Lunae XVII

Quanti stabit ibi deversari?

A- Qui die VII ante cenam venerit, die X post prandium discesserit, is pro octo scholis, habitatione victuque in triduum solvet eurinummos 165.

B- Qui die VIII ante prandium venerit, die IX post prandium discesserit, is pro octo scholis, habitatione in biduum cibisque quinquies sumptis solvet eurinummos 125.

C- Qui die XXVI post prandium venerit, die XXVII post prandium discesserit, is pro quattuor scholis, bidui habitatione cibisque bis sumptis solvet eurinummos 70.00

D- Qui die XXVII venerit post prandium, item post prandium abierit postridie, quattuor scholas audierit, pernoctaverit semel, bis sumpserit cibos, is solvet eurinummos 70.00

E- Qui omnes scholas audierit, non autem in deversorio pernoctaverit, sed quinquies ibidem sumpserit cibos, is solvet eurinummos 75.

Praeterea adiciendum est singula nocte € 0,60 (tributum in capita).

Quomodo certiores de re fiamus

Quicumque de re certior fieri cupit, scribat ad utramlibet nostrum, quarum domicilia electronica inferius scripta leguntur:

claudiateresabrambilla@gmail.com

aut nos vocet telephonice, his usus numeris:

328.2164394 Claudiae Brambilla proprio,

333.9090687 Ivanae Milani proprio,

Animum advertite: non plures quam triginta praeceptores admittentur et, si vultis interesse, cubicula quam primum necesse est confirmare! Collegae autem, quorum scholas Felicianas audire interest, rogantur ut scidulam, huic interjectam epistolae, inscribant eamque, adiecta apocha, mittant ad domicilium cursuale claudiateresabrambilla@gmail.com

Collegae rogantur ut symbolam € 70 si Europae Latinae sodales, €100 ceteri omnes, solvantur operi fundato *Europae Latinae*; arcae numerus ab argentariis assignatus hic est:

IBAN: IT03M0521601619000000078360

Hanc indicabitis causam pecuniae solutae: "Seminarium 2018".

Collegae autem, quorum scholas Felicianas audire interest, rogantur ut scidulam, huic interiectam epistolae, inscribant eamque adiecta apocha, mittant ad domicilium cursuale claudiateresabrambilla@gmail.com

Valere ex animo vos jubemus!

COLLOQUI/ COLLOQUI

quod tu in docendo potes...

Conventiculum XV

Mense Septembri die Saturni XV, Solis XVI, Lunae XVII

Anno MMXVIII p. Chr. n.

In Xenodochio "Il Carmine" nuncupato

Benaci Sinu felici in finibus Brixianorum

ORDO RERUM TRIDUO AGENDARUM

Saturni die

09.00-09.30 hospites excipiuntur iisque cubacula adsignantur

09.30-12.30 sessio aditialis

12.30-14.00 prandium

14.00-19.30 sessio posmeridiana

19.30-21.00 cena

21.00-22.30 sessio vespertina

Die Dominico

08.30-09.00 jentaculum

09.00-12.30 sessio matutina

12.30-14.00 prandium

14.00-19.30 sessio posmeridiana

19.30-21.00 cena

21.00-22.30 sessio vespertina

Lunae die

08.30-09.00 jentaculum

09.00-12.30 sessio matutina

12.30-14.00 prandium

14.00-16.00 sessio posmeridiana, conclusio, valedictio

QUOMODO VENIATUR AD LOCUM



Qui curru ferriviario vehi malle videtur:

Idem tramen ferriviae conscendat, qua Mediolanum cum Venetiis conjungitur; desiliat e curru in vico Desenzano del Garda nuncupato. Inde raedam longam vicum Salò nuncupatum petentem conscendat, et desiliat in stazione “Santuario del Carmine” Sinu Felici. (Raedarius interrogari de stazione poterit

Inspicere oportet www.trasportibrescia.it

Qui autocyneto vectari solet:

Relicta via autocynetica IV ex stazione Desenzano del Garda exeat et vicos Salò- Riva nuncupatos petat. Cum pervenerit ad quadrivium Manerba del Garda situm, tabellam viariam qua San Felice del Benaco et deinde “Santuario il Carmine” significatur inspiciat.

COLLOQUI / COLLOQUI
quod tu in docendo potes...
Conventiculum XV

SCIDULA QUA NOMINA DANTUR

Ego.....
Latinitatis praeceptor in schola.....
cujus domus sita est in urbe.....
juxta viam.....
telephonii stativi numerus..... gestabilis numerus
electronicum epistolarum dirhibitorium

POLLICEOR

Me interfuturum esse seminario de arte latine docendi, quod mense septembri die XXX, mense octobri diebus I et II habebitur.

- | | |
|--|-------|
| <input type="checkbox"/> A pro octo scholis, habitatione victuque in triduum solvi | € 165 |
| <input type="checkbox"/> B pro octo scholis, habitatione in biduum cibisque quinque sumptis solvi | € 125 |
| <input type="checkbox"/> C pro quattuor scholis, biduihabitationecibisquebis sumptis solvi | € 70 |
| <input type="checkbox"/> D pro quattuor scholis, unius noctis habitatione cibisque bis sumptis solvi | € 70 |
| <input type="checkbox"/> E pro octo scholis victuque in triduum sine pernoctatione solvi | € 75 |

GREX ELECTUS

- SCHOLAE
- LECTIONES

Data.....
Subsignatio

ANIMOS ADVORTITE! Quum hoc anno a die XXV Maji mensis novae normae de indicis cujusque personae propriis tegendis tuendis valeant, nos indice cursus electronici, quem tu nobis significasti, utemur tantummodo ad nuntiandas res nobis agendas, neque eundem alias ob causas usurpabimus, neque renuntiabimus aliis. Quodsi certior fieri cupis de rebus a nobis gestis vel gerendis, nihil oportet ut agas: sic enim nuntios nostros ad sedem tuam electronicam, uti antea, deferri velle te tacite significabis. Sin autem nihil amplius a nobis accipere volueris, satis erit ad hoc epistolum rescribere his verbis: Deleto indicem meum! Qui index statim expungetur.

Huic scidulae adjungo:

Apoenam qua testor me pecuniae summam jam per argentarios solvisse

Scidulam, quam litteris grandiusculis omni ex parte expleveris, ad domicilium cursuale claudia.teresabrambilla@gmail.com una cum apocha mittito.